



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA GUMLAËNSIS IN INDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS GUMLAËNSIS NOMINE Quo aptius evangelizationis operi in India consuleretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque pariter eorum quorum interest faventibus votis, censuit nuper ibidem novam condendam esse dioecesim. Nos igitur, de universo Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Ranchiensi distrahimus partem septentrionalem territorii districtus civilis «Gumla» nuncupati ex eaque novam constituimus dioecesim ab urbe principe eiusdem regionis Gumlaënsis appellandam, quam suffraganeam metropolitanae Sedi Ranchiensi facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius quidem limites iidem erunt ac partis septentrionalis territorii districtus civilis supra memorati, firmis manentibus ceteris limitibus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram poni in principe huiusce novae dioecesis templo, Sancto Patricio dicato, quod in urbe Gumlaënsi exstat atque pro canonicis consultores dioecesanos eligi et adhiberi ad normam iuris; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Georgius Zur, Archiepiscopus titulo Sestensis atque in India Apostolicus Pronuntius, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, cito mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana